4/8

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

PLEURITIDE VERA.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
PLEURITIDE VERA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Auctoritate Digniſſimi Vice-Cancellarii,

ARCHIBALDI DAVIDSON, S.S.T. P.P.

ET COLLEGII GLASG. PRAEFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu;*

Et Nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE *Decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS;

IN COMITIIS
UNIVERSITATIS GLASGUENSIS,

Eruditorum examini ſubjicit

SAMUEL WILSON,

MERIDIONALIS CAROLINENSIS.

SOCIETATIS REGIAE MEDICAE SOCIUS,

NEC NON

SOCIETATIS PHYSICAE EDINENSIS PRAESES ANNUUS.

Aggrediar, non tam perficiendi ſpe, quam experiendi voluntate.

CIC. ORAT. AD BRUT.

AD DIEM XXIX. MAII, HORA PRIMA P. M. LOCO SOLITO.

GLASGUAE:

IN AEDIBUS ACADEMICIS,

EXCUDEBAT ANDREAS FOULIS,

ACADEMIAE TYPOGRAPHUS.

M.DCC.LXXXVI.

322291

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

VIRO EXCELLENTISSIMO

JOANNI SIMPSON,

ARMIGERO,

MERCATORI LONDINENSI,

OB AMICITIAM QUAM IN SESE,

EX QUO BRITANNIAM INVISERIT,

CONSTANTER DEMONSTRAVIT,

INTEMERATAM ET SINGULAREM;

ITEM

VIRO ORNATISSIMO

ALEXANDRO BARON, M. D.

QUI MEDICINAM

APUD INCOLAS CAROLIPOLIS

IN CAROLINA AUSTRALI

SUMMA CUM LAUDE SUA,

GENERISQUE HUMANI COMMODO FACIT;

PROPTER HUMANITATEM,

QUA SESE SUOSQUE

ASSIDUE FUIT PROSECUTUS,

INSIGNEM;

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b31875956_0001

NEC NON

AFFINI SUO SPECTABILI

JOANNI WILSON,

ARMIGERO,

DE *WOODSIDE*

IN COMITATU LANARKENSI,

QUI NULLUM AMICI IN SEMET OFFICIUM UNQUAM OMISIT;

DENIQUE

PATRI SUO OPTIMO

ROBERTO WILSON,

ARTEM APOLLINEAM

CAROLIPOLI SUPRA DICTA EXERCENTI,

QUI OMNIA QUANTUM AD SE ATTINET,

QUAE A *PIO PARENTE* POTUERINT EXPECTARI,

PROMPTUS CONSTANSQUE

NUNQUAM NON PRAESTITIT;

HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM EA,

QUA PAR EST, OBSERVANTIA

D. D. C. Q.

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PLEURITIDE VERA.

INTER morbos, quibus mortales miſerandi ſint opportuni, numeroſos, principem locum ſemper pleuritis obtinuit, et multum attentionis medicorum in ſeſe, non ſine cauſa graviſſima, convertit. Cum frequenter invadat, et vim hominum ingentem niſi in idoneam medendi viam procedatur, crudeliter ſubitoque rapiat; de ea potius, quam de qualibet alia materie, paucula hoc tempore exarare decrevi.

Si communis autem diſſertationum hujuſcemodi academicarum ordinis ratio ſit habenda, morbus primum rite finiatur oportet. Aliae quidem definitiones ab aliis noſologis fuerunt traditae. Sauvageſiana haud dubie repudianda eſt,

quod vires pulſuum arteriarum punctionemque doloris praeteriit, quae ad hunc morbum a peripneumonia ſecernendum ex toto neceſſariae eſſe videntur. Nec Linnaeana recipi poteſt, propterea quod dolorem omnino praetermiſit. Quanquam Vogeliana utraque perfectior eſt, omni tamen vitio non caret; etenim nec difficulter in latus cubari, nec dolorem ſpiritu tracto multum augeri, commemoravit. Quinetiam a Sagaro prolatae nonnulla objici poſſunt. Quanquam dolorem non omiſit; eum tamen latere pleriſque in exemplis, quod haud dubie facere debuit, non circumſcripſit. Inſuper, licet tuſſis moleſtae injecerit mentionem, qualis initio, qualis morbo provectiore, cruenta unquam, an incruenta ſit, lectoribus ſuam perſagacitatem explorandum reliquit. Denique aegrotantes in latus, ſine ſummo moleſtiae ſenſu, decumbere non poſſe memoriae non prodidit. His omnibus igitur, utpote quae plane ſint imperfectae, expulſis, ſine ulla omnino dubitatione Culleni celeberrimi propriam, quae naturam morbi et decurſum multo accuratius depingit, recipiemus.

"Pneumonia (*Pleuritis*), pulſu duro; dolore, "plerumque lateris, pungente, ſub inſpiratione "praeſertim aucto; decubitu in latus moleſto; "tuſſi dolentiſſima, initio ſicca poſtea humida, "ſaepe cruenta," deſignata *.

HISTORIA MORBI.

Hic morbus autem quamlibet regionem infeſtare, et quolibet anni tempore ſemet oſtendere poteſt. Obſervationes vero accuratiſſimae eum frequentius in plagis, quae ad ſeptentriones, quam in iis, quae ad auſtrum vergunt, apparere teſtantur. Hyeme, ſed potiſſimum vere †, invadit, et ex hoc tempore ad aeſtatem ineuntem eandemve aliquando adultam uſque epidemice graſſari conſuevit. Adulti et aetate florentes, robuſti ſanguineoque temperamento praediti ei magis, quam alii, objiciuntur. Sexui virili ‡, quam foeminco, inimicior eſt.

* Vide Culleni Synop. Noſolog. edit. quar. Edin. 1785.

† Vide Remberti Dodonaei, p. 337. Rutty on the weather, p. 315.

‡ Vide Triller de pleuritide, aph. xii. p. 2.

A ſenſu frigoris et horrore plerumque, a nauſea materiaeque bilioſae vomitione nonnunquam incipit; quae brevi excipiunt reliqua pyrexiae ſigna, ut magnus calor, ſitis et inquietudo, capitis dolor, rubor faciei et appetentia cibi amiſſa. Si vero fides erudito Boerhaavio ſit habenda, deſiderium * cibi adauctum primum ſignum eſt, quod morbum appropinquare teſtatur. Citius ſeriuſve aegrotus dolore lateris, plerumque dextri, violento et pungente corripitur, qui quidem remittit, ſed, dum ſpiritus trahitur, acutiſſime ſentitur. Hic non unum tenet locum, ſed ſcapulam claviculamve, inde ſternum, et non raro ſpinam dorſi verſus patet. Tuſſis aegrotum plerumque vexat, quae nonnunquam ſicca eſt, ſed plerumque humida. Rebus ita ſe habentibus, ſputum parcum eſt, et, quod excreatur, id ſpeciem muci prae ſeſe fert, ſanguine leviter tinctum. Morbo progrediente, ſigna febrilia graviora evadunt; et dolor nunc adeo acutus eſt, ut aeger thoracem tantum, quantum ad reſpirationem liberam reddendam ſufficit, nequeat dilatare. Dorſo alterutrive late-

* Aph. p. 207.

ri, potiſſimum laboranti, vix poteſt incumbere, et in poſitura aliqua ex parte erecta tantum ſemet levari ſentit. Ab initiis uſque pulſus arteriarum frequentes, celeres, pleni durique ſunt, in modum funiculi vibrantes *. Alvus modo dura, modo ſoluta. Urina parca et pellucida eſt, et colorem ſubrubrum habet. Aegroto nunc ſumma anxietate laboranti animus humilis demiſſuſque evadit. Inſomniis horrendis perturbatur ſomnus, et delirium accedit, quod aliquando tam ferox eſt, ut multa vis ad aegrotum in lecto continendum ſit neceſſaria. Facies rubeſcit, et vaſa tunicae oculi albugineae ſanguifera admodum turgida fiunt. Spiritus difficilis multum increſcit, et aeger tuſſire non ſuſtinet. Hiſce ſignis ſubſtantibus, dolor vel ſubito remittit, vel ad latus hactenus non affectum transfertur. Ictus arteriarum hoc tempore intermittunt. Corpus interea ſudoribus frigidis et glutinoſis humectatur, et convulſiones vitae aegroti miſerandi finem brevi faciunt. Cum morbus hoc modo finitur, aegrum quarto die plerumque rapit, ut e ſcriptis celebris Cleghornii clare

* Huxham's eſſay on fevers, p. 245.

manifeſteque conſtat. Idem tamen eventus quolibet alio a tertio ad ſeptimum uſque incidere poteſt. Licet vero decurſum tempore tam brevi poſſit abſolvere; aegrotum tamen, poſtquam ſpatium multo longius habuit, nonnunquam extinguit. Si abſceſſus, exempli gratia, in pleura oriatur, pus effundi, et empyema conſtituere poteſt, quod exemplum fragilitatis humanae nimis evidens manifeſtumque praebet. Aegrotus quanto in periculo verſetur, ex toto ignarus ſpe citae ſalutis fallace lactatur; haec vero in ſpatium temporis breviſſimum tantum affulget, mors enim vota anxia inſperato rapideque fruſtratur, mors ultima linea rerum. Si morbus, contra, ad ſanitatem vergere incipiat, ſigna longe diverſa ſeſe in conſpectum dare conſuerunt. Tuſſis minus urget, et ſputum, primos per morbi dies praeſertim, liberum eſt et copioſum. Quod excreatur, id colore album, fuſcum flavumve eſt, et non parum ſanguine tinctum. Hoc dolorem et ſpiritum difficilem nonnihil levat. Univerſa corporis ſuperficies eſt humida, et cutis mollis. Pulſus arteriarum ſunt magis regulares minuſque frequentes.

Alvus naturalis. Urina majore quantitate excernitur, et excreta ſedimentum copioſum pulveriſque lateritii ſimile deponit. Calor, ſitis, et alia ſigna febrilia pro rata ratione leviora ſunt. In cauſa quoque, cur exitus morbi fauſtus et auſpicatus fuerit, ſequentia fuerunt, diarrhoea bilioſa *, menſtrua vel haemorrhois profuſa †, epiſtaxis ‡, variarum corporis partium abſceſſus, eryſipelas in cruribus die ſecundo tertiove ſubortum.

DIAGNOSIS.

Pleuritidem veram autem, ut ab auctoribus deſcribitur, referunt, peripneumonia vera, pleuritis ſpuria, hepatitis, gaſtritis, ſplenitis, carditis, affectus canalis alimentarii ſpaſmodici, et dolores denique a vermibus in inteſtinis deliteſcentibus proficiſcentes. De his autem ſingulatim fuſiuſque ut differamus proximum eſt.

* Aphor. Boerhaavii, p. 208. Obſervat. Nicolai Tulpii, p. 104.

† Triller de pleuritide, aphor. xxxv. p. 5.

‡ Cleghorn's diſeaſes of Minorca, p. 273.

Quanquam pleuritis vera et peripneumonia ab iiſdem fere cauſis excitantibus oriuntur, et quanquam ratio medendi ſimilis utrique convenit; ſigna tamen etiam leviſſime conſiderata, unum morbum ab altero rite ſecernere, perquam neceſſarium eſſe abunde monſtrabunt. Ita in pleuritide dolor punctionem evidentem habet, et inter ſpiritum ducendum acutiſſime ſentitur. In peripneumonia, contra, obtuſus eſt, ſenſui ponderis magnaeque anxietatis adjunctus. In illa pulſus arteriarum ſunt celeres et duri, in hac pleni et molles. In illa aegrotus in latus affectum cubare nequit, in hac in alterutrum aeque facile decumbere poteſt.

Non paucis a morbo, quem exequimur, diſcrepat pleuritis ſpuria. Pro ſpecie rheumatiſmi habenda eſt *, et muſculos intercoſtales tenet. Tumor ruborque in partibus externis plane nonnunquam apparent. Spiritus parum afficitur. Tuſſis ſemper eſt ſicca, et dolor, ſi preſſurae externae pars laborans objiciatur, acutiſſime percipitur.

* Cull. G. M. G. xxii. Synon.

Si hepatitis ſubſit, vultus plerumque palleſcit *, dolor obtuſus eſt et in dextro hypochondrio ſedet, ubi tenſionis non parum ſentitur. Haec omnia autem ſigna, ſi partes preſſura externa afficiantur, ingraveſcunt. In latus, quod laborat, ſumma cum facilitate poteſt cubari. Aegrum quoque infeſtant tuſſis ſicca, vomitio, ſingultus.

Pleuritis et ſplenitis a ſe invicem, primo etiam intuitu, poſſunt diſtingui. Namque in hac dolor tumorque hypochondrium ſiniſtrum tenent, cui calor quoque ſubeſt. Quinetiam ſigna per externam preſſuram multum augentur, et ſigna pleuritidis propria abſunt. Nihil ſimilitudinis igitur inter duos morbos intercedit.

Gaſtritidem a morbo, de quo agitur, clare dignoſcunt, ardor ventriculi, vomitio et anxietas, pulſus debilis et ſingultus.

Carditidem a pleuritide ſatis aperte manifeſteque ſecernunt, dolor in latere thoracis ſiniſtro profunde ſitus, pulſus arteriarum intermittentes, cordis palpitatio, magna anxietas et ſyncope.

* Rember. Dodon. p. 337.

Affectus ſpaſmodici hypochondriaſin et hyſteriam comprehendunt. In his dolores lateris borborygmis, ſed nullis ſignis febrilibus, ſtipantur. Hanc ob cauſam diſcrimen has inter et pleuritidem nulla obſcuritate involutum eſt.

Vermes, qui domicilium ſibi in inteſtinis conſtituerunt, dolorem lateris, pleuritico non diſſimilem, ut neminem poteſt latere, nonnunquam excitarunt. Omnia vero ſigna, quae eos ſubeſſe demonſtrare fuerunt exiſtimata, fallaciſſima eſſe reperta ſunt; et igitur eos in canali alimentario deliteſcere nunquam pro certo debemus affirmare, niſi pars eorum expulſa rem ita ſeſe habere ſatis ſuperque probavit. Cum hoc autem, ut duce et rectore, in medicina facienda non ſemper uti opis ſit noſtrae, hoc tantum notare ſufficiat, hiſce animalibus nocivis obnoxios habitum corporis debilem plerumque habere, et cruditate et inflatione graviter vexari, quae ſigna a natura pleuritidis ex toto ſunt aliena, et in iis, qui ad quamlibet inflammationem ſunt proclives, raro aut nunquam ſemet oſtendunt.

CAUSAE REMOTAE.

Hae autem in ſeminia noxaſque apte fuerunt diviſae.

Seminia.

Omnes autem cauſas, quae mortales ad hunc morbum proclives efficere poſſint, recenſere hujuſce opuſculi limites longe excederet. Igitur maxime inſignes tantum percurrere ſufficiat. His annumerari poſſunt omnia, quae proclivitatem ad plenitudinem dare valent. Hujuſmodi ſunt victus lautior, uſus cibi animalis nimis conditi, liquores fermentati liberalius adhibiti; ſecretiones corporis et excretiones naturales, ut perſpiratio et menſtrua, imminutae vel ex toto ſuppreſſae; evacuationes ab arte petitae, ut per ſetacea fonticuloſque factae, cohibitae vel omnino exſiccatae. Haemorrhois ſuppreſſa idem praeſtabit. Membrum amputatum, quod, cur circuitus ſanguinis circulo minore circumſcribatur, in cauſa eſt, et igitur plenitudinem ad ſpatium, uti a phyſiologis appellari ſolet, facit, hoc in loco ſilentio praeteriri

non debet. Crebra ſanguinis detractio, licet hoc primo intuitu paradoxon eſſe videatur, eundem effectum, quem ſupra comprehenſa, edit. Inter omnes autem phyſiologos ex toto conveniſſe videtur, ſyſtematis vigorem acerta vaſorum, quae ſanguinem vehunt, tenſione potiſſimum pendere. Si igitur id illis, unde hic protinus pendeat, demas, ſyſtema univerſum relaxetur oportet. Hoc autem circuitum ſanguinis languidiorem efficiet, et egeſta igitur, dum quantitas ingeſtorum eadem manet, imminuet. Rebus autem ita ſe habentibus, plenitudo non oriri non poteſt. Quinetiam aetas ſexuſque cauſarum, quae hunc morbum concitent, actioni magnopere favent. Ita aetate florentes et viri pleuritidi magis, quam mulieres, patent. Habitus corporis robuſtus, liquores ſpirituoſi et fermentati nimis frequenter nimiſque copioſe adhibiti, et hoc, quod mares viciſſitudinibus coeli ſaepius objiciuntur, morbum ſexu virili potiſſimum circumſcribunt. Mulieres, contra, praeſertim loco honeſto natae, praeterquam quod conſtitutio corporea naturaliter laxior eſt, magnas liquorum debilitantium, ut theae et coffeae,

quantitates ſorbillant, vitam ſedentariam agunt, et multum temporis in conclavibus calidioribus conſumunt, quod ſolida nimis flaccida reddit, ſenſilitatem ſyſtematis nervoſi et irritabilitatem adauget, et igitur ut ad cohortem morborum, qui vulgo nervoſi appellantur, et a natura pleuritidis ex toto alieni ſunt, proclives ſint plane facit.

Inſuper temperamentum ſanguineum, quod, uti Gregorius eruditiſſimus in *Conſpectu Medicinae Theoreticae* ſuo teſtatur, " prae aliis, ſanguinis " nimiae abundantiae et vehementi motui, febri- " bus, morbiſque inflammationem habentibus, " &c. imprimis obnoxium eſt *," eos, in quibus notae ſtatus corporei hujuſcemodi ſemet evidenter oſtendunt, ad pleuritidem pronos non efficere non poteſt. Namque compage corporis et ſtructura mollioribus ſemper ſtipatur, quae nimium ſanguinem in univerſo ſyſtemate ejuſdemve parte congeri et accumulari facillime patiuntur.

Qui plagas frigidiores incolunt, ii huic morbo frequentius, quam alii, objiciuntur. Hoc autem a vi frigoris tonica forſitan proficiſcitur, quae ex-

* Conſpect. Medicin. Theoret. parag. 916.

creta diminuit, et tenſionem ſolidis auget. Ita diatheſis phlogiſtica progeneratur, quae omnibus morbis inflammationem habentibus amiciſſima eſt. Cum coelum e calido frigidum vere admodum frequenter evadat, huic ortus morbi creberrimus, non humoribus per calorem frigus hyemale excipientem rarefactis, ut quidam ingenioſi doctique medici contenderunt, jure optimo tribuendus. Hoc autem probandi cauſa, primum, utrum calor externus auctus necne ad calorem corporis humani augendum multum conferre queat, ambigi poteſt. Et, ſi hoc concedatur, perſpicuum tamen et manifeſtum eſt, eum in ſolida et fluida aeque potenter agere oportere, et, quo magis haec fuerint expanſa, eo magis illa relaxatum iri. Nullus igitur morbus excitaretur.

Qui variola rubeolave laborant, ii non raro in hunc morbum incidunt, quod plerumque a ratione medendi minus idonea adhibita, unde oritur diatheſis inflammatoria, proficiſcitur. Denique quilibet pleurae affectus organicus *, vel eadem praeter naturam pulmonibus adhaerens ſeminium

* Aphor. Boerhaav. p. 206.

huic morbo conſtituere poteſt. Iis, quae proclivitatem ad hunc morbum dant, conſideratis, proximum eſt ut noxas exequamur.

Noxae.

Ex his multae a medicis ſcriptoribus fuerunt enumeratae. Prima autem, quae attentionem meretur, eſt frigus. Hoc potiſſimum corpori injuriae eſt, ſi ante magno calori fuerit objectum, vel exercitatione acriore magnopere calefactum. Si frigus autem vel toti corporis ita affecti ſuperficiei externae, vel parti internae, eum, exempli gratia, aqua frigida vel aliquid ſimile * copioſe potatur, applicetur, conſtrictio vaſis infertur, et curſus humorum inſolitus vel ad alias ſyſtematis partes, vel ad ipſum conſtrictionis, quae ſtimulo eſſe, et igitur hoc facere poteſt, locum fit. Hinc ſatis conſtat, inflammationem, ſi ullus pleurae affectus, uti ſupra comprehenſum fuit, organicus adſit, eſſe orituram. Quinetiam, ſanguine inaequaliter diſtributo, congeſtio incidit, quae tanto

* Diemerbroek Anat. lib. II. cap. xiii. p. 309.

ſtimulo eſt, ut inflammatio omneſque ejus ſequelae oriantur.

Cauſis excitantibus annumerata fuerunt ab auctoribus lochia ſubito ſuppreſſa, menſtrua non amplius provenientia, haemorrhois exſiccata, quaelibet eruptio cutanea retropulſa. Quamlibet evacuationem neglectui habitam quam ſanitati ſyſtematis neceſſariam conſuetudo priſtina et inveterata reddidit, morbum eſſe moturam nemo, me judice, negare temerarius audebit. Poſtremo, liquores, qui vim inebriantem habent, nimis liberaliter epoti, et affectus animi excitantes, praeſertim ira, utpote qui impetum circuitus ſanguinei evidenter adaugeant, ad omnes morbos, qui inflammationem habent, concitandos, ut experientia quotidiana plane docet, non parum conferre ſolent.

CAUSA PROXIMA.

In alias ſuper hac ſententias conceſſerunt alii medici. Eruditus et celebris Boerhaavius nonnullis in exemplis, ut in ophthalmia, cauſam in-

ſlammationis in errore loci, vel ſanguine rubro e vaſis, quae eum naturaliter vehunt, in vaſa, quae, ſanitate ſubſtante, humores ſeroſos tantum continent, propulſo poſuit. Hinc vero morbus vix proficiſci poſſe videtur; namque motus ſanguinis in vaſculis extremis, uti Cullenus celeberrimus in *Primis* ſuis *Lineis* notavit, adeo debilis et tardus eſt, ut facile poſſit retropelli, vel motum retrogradum ſubire. Igitur ſi particula ſanguinis arteriam ingrediatur, cujus ramuli eandem per ſe tranſire non patiuntur, retro movebitur, donec aliam ſui ſatis capacem offendat et per eam tranſeat. Aliis in exemplis inflammationem a lentore ſanguinis proficiſci memoriae prodidit idem auctor. Si vero hic unquam incideret, non inflammationem moveret, ſed, quod multo pejus eſt, pro certo finem vitae brevi faceret. Igitur vix ambigi poteſt, quin natura, quae ſanitati humanae ſemper provida et attenta conſulit, vitium hujuſcemodi, quod vitae tam inimicum foret, in omnibus fere exemplis cavendum curet. Inſuper experimenta, in quibus ſumma fiducia collocari poteſt, ſanguinem, inflammatione ſubſtante,

ſolito tenuiorem, et igitur ab omni lentore alienum eſſe demonſtrant. His igitur opinionibus repudiatis, aliam cauſam morbi proximam quaeramus oportet. Cullenus quidem omneſque ejus aemuli ſpaſmum vaſorum extremorum, ut cauſam proximam, recipiunt. Omnia vero ſigna, inflammationis propria, congeſtionem ſanguinis in parte laborante adeſſe evidenter teſtantur. Hanc igitur, unde unde naſcatur, pro cauſa proxima habendam putamus, cum, hac increſcente, omnia ſigna increſcant, cumque, hac decreſcente, et decedente, pro rata ratione decreſcant tandemque ex toto decedant. Spaſmum quidem huic, gravioribus in exemplis, ſed ut aliquid auxiliare tantum, adjunctum eſſe non diffitemur. Rem autem ita ſe habere teſtari videntur ſiccitas cutis, quae, morbo graviter urgente, conſtanter adeſt, et ipſa curatio, quae antiſpaſmodicis, velut ſanguinis detractione, epiſpaſticis, et ſimilibus, non parva ex parte abſolvitur.

Quantum ad ſedem morbi attinet, alii eum in pleura, alii in pulmonibus collocarunt. Morbum autem in pleura incipere, quanquam inter decur-

ſum ſemet in ſuperficiem pulmonis diffundere poteſt, cum eadem membrana et coſtas ſuccingat et tunicam exteriorem pulmonibus ſuppeditet, et ſigna, quae in morbo oriuntur, et cadaverum inciſiones demonſtrant. Omnem ſuper hac re dubitationem ſuſtulerunt, a Proſpero Martiano *, Lieutaudio †, Diemerbrockio ‡, Haſenorhlio ‖, aliiſque accurate et fideliter obſervata.

RATIO SIGNORUM.

Non omnia ſigna, quae in hiſtoria morbi recenſentur, quod facere longius foret, ſed ea tantum, quae in definitione comprehenduntur, exponenda ſuſcipiemus.

1. *Pulſus arteriarum duri.* Cum inflammatio partem mollem et laxam, qualis eſt pars pulmonum parenchymatoſa, tenet, vaſa ſanguifera viribus congeſtionis diſtendentibus multo facilius, et

* Comment. in Hippoc. lib. de loc. in homine.

† Hiſt. Anatom. Med. vol. II. § 82.

‡ Anatom. lib. II. cap. xiii.

‖ Hiſt. Anatom. Med. vol. II. p. 84, 85.

multo cum minore irritatione, cedunt, et igitur ictus arteriarum pro ratione quoque molliores ſunt. Si inflammatio in peripneumonia, exempli gratia, partes pulmonum internas et laxas invadat, pulſus arteriarum non duri, ſed molles ſunt. Si, contra, vero morbus in parte pleurae dura et non facile poteſtati diſtendenti cedente, quae pulmonibus circumdatur, ſedeat, arteriae valide micant pulſuſque duros habent. In pleuritide autem, ubi inflammatio pleuram, quae coſtas ſuccingit, cujus arteriae cauſae diſtendenti aegerrime parent, et non ſine ſumma irritatione, quae in ſyſtema univerſum brevi diffunditur, poſſunt praeter naturam dilatari, duram firmamque occupavit, totum ſyſtema ſanguiferum admodum irritetur, et pulſus duri ſint oportet.

2. *Dolor, plerumque lateris, pungens, ſub inſpiratione praeſertim auctus.* Inflammationem pleuram coſtalem in pleuritide plerumque tenere ſupra comprehendimus. Igitur dolor, qui a diſtenſione vaſorum, quae nervulis ſuis copioſe ſunt inſtructa, et igitur ſenſum, praeſertim inflammatione ſubſtante, acutum habent, nimia oritur, in

latere ſentiatur neceſſe eſt. Vaſa autem per impetum ſanguinis inſolitum et morbidum ad ſe factum diſtenſa aegrotantem ſenſu punctionis, qui omni membranae durae inflammationi communis eſt, facillime poſſunt afficere. Minime mirum eſt dolorem per inſpirationem, quae coſtas ſurſum levat et extrorſum trudit, et totum quoque ſyſtema pulmoneum diſtendit et irritat, augeri. Partes inflammatione laborantes, et igitur praeter conſuetudinem ſenſiles redditae, diſtenſionem motumque hujuſmodi, ſine auctu doloris evidente, tolerare non poſſunt.

3. *Decubitus in latus moleſtus.* Per latus hic intelligitur id, quod laborat. Si vero in id cubetur, pondus corporis partes inflammatas et affectas comprimet, unde ſenſus moleſtiae ſummus non oriri non poterit; namque partes inflammatae, et praeter naturam irritabiles redditae, tactum, uti omnes norunt, etiam leviſſimum, nedum preſſuram graviorem, ferre non valent.

4. *Tuſſis dolentiſſima, initio ſicca, poſtea humida, ſaepe cruenta.* Cum tuſſis univerſos pulmones agitet graviterque concutiat, ſummus dolor,

dum inflammatione laboratur, inde oriatur oportet. Tuſſis autem, ob rationem ſequentem, initio ſicca eſt. Spaſmus, cujus notas evidentes hoc in morbo plerumque ſubeſſe ſupra diximus, non tantum partes corporis externas, ſed internas quoque, occupat. Hic, praeſertim ſub initium morbi, vaſcula bronchiorum exhalantia conſtringit, parum nihilve muci excerni patitur, et igitur tuſſim ſiccam efficit. Poſtea vero, potiſſimum ſi morbus ad ſanitatem vergat, vaſa modo poſita, ſpaſmo diminuto vel ex toto ſublato, relaxantur, humorem ſolitum excernunt, et tuſſim humidam facilioremque reddunt. Sub finem morbi ſaepe cruenta, et non ſine ſummo aliquando aegrotantis commodo, evadit; namque, vaſis exhalantibus relaxatis, pars ſanguinis, qui congeſtionem, originem morbi et fontem, conſtituerat, aliqua ex finibus eorum elabitur, et excreatur. Et, cum excretio hujuſcemodi congeſtionem imminuat, non eſt, cur eam pro ſigno ſalutis, et minime incerto, ſemper fuiſſe habitam mireris.

PROGNOSIS.

Nihil magis ad famam medici et exiſtimationem poteſt conferre, quam eventum morbi rite praeſagire. Quo hoc ſiat, habitus corporis, varietas ſignorum et vis, una cum ſpatio quod habuerunt, accurate attenteque conſideranda ſunt. Si morbus mulieres gravidas eoſve, qui aetate provectiores ſunt, invadat, non parum periculi metuendum eſt. Si a pulſibus arteriarum plenis duriſque, magno calore, acuto dolore, ſpiritu difficili, tuſſi ſicca, delirio feroce aliiſque ſignis, quae diatheſin phlogiſticam violentam comitantur, incipiat, ſtrangulatione vel gangraena ſiniri periclitatur. Si vomitio vel diarrhoea biliosa, morbo provectiore, oriatur, non minus periculi, quam ſigna ſupra comprehenſa, habebit. Ad ultima mox ventum iri teſtantur, pulſus arteriarum frequentes, exiles, inaequales, intermittentes, delirium ferox, convulſiones, ſudores frigidi et glutinoſi. Dolor ad alias partes ſubito tranſlatus pro ſigno periculoſiſſimo quoque habendus eſt.

Si vero, contra, ſigna inflammationis gravioris detractione ſanguinis aliiſque remediis antiphlogiſticis levari incipiant, ſputum liberum evadat, et materia extuſſita colore albida vel fuſca ſit ſanguine tincta, ſpiritus facile trahatur, urina ſedimentum pulveri lateris ſimile deponat, tota corporis ſuperficies humida cutiſque mollis ſit, exitum morbi fauſtum fore promittere licet. Idem finis expectandus eſt, ſi ſanguis e naribus, ano uterove, ante diem quintum, profundatur. Multi graves auctores abſceſſus in axillis, pone aures, et in aliis corporis partibus, e quibus pus bonum et rite concoctum fertur, ut bonum et felicem eventum promittentes, commemorarunt. Affectus crurum eryſipelatoſus, die ſecundo tertiove ſemet oſtendens, pro ſigno, quod ſanitatem brevi reſtitutum iri teſtatur, haberi conſuevit.

RATIO MEDENDI.

Conſilia autem medendi ſunt: 1. Diatheſin phlogiſticam tollere. 2. Excretionem ſputi promovere. 3. Signa, quae graviſſime urgent, levare.

Quantum ad primum conſilium attinet, non manifeſtum non eſſe poteſt, cum actio ſyſtematis ſanguiferi a tono vaſorum potiſſimum, et hic rurſus ab humoribus, quos comprehendunt, plane evidenterque pendeat, quantitatem horum minuere actionem illorum neceſſario et efficaciter compeſcere. Hanc ob cauſam ſanguinis detractio hoc in morbo ſummi momenti eſt remedium. Si fructum igitur evidentiſſimum ab hac deduci concedas, non ſilentio praetereundum videtur, maxime prodeſſe, ſi per inciſionem amplam ſubito eliciatur. Quantum ſanguinis quantitatem in omni caſu detrahendam ſpectat, nullae certae poſſunt tradi regulae. Quicquid agimus, id aegrotantis conſtitutione corporea, ſexu et aetate, regendum eſt. Gravitas ſignorum quoque reſpicienda. Qui ſanguinem ad ſyncopen uſque emitti oportere contendunt, ii, ut doctus Triller notavit, ad ſequelas hujuſce rationis conſiderandas animum advertere debent. "Rarius enim, "et non niſi urgente ſumma neceſſitate, et nimia "morbi atrocitate, audendum, ne vis vitalis in "aegro nimium labefactetur, ſputiſque eo quen-

" dis et egerendis, aliiſque criſibus ſalutaribus " promovendis, impar hoc modo reddatur." Quod vero ſyncopen pro regula minime habendam eſſe demonſtrat, eſt hoc, quod ſaepe invadere ſolet, antequam tres quatuorve ſanguinis unciae, ſi ad operationem in poſitura erecta fuerit decurſum, detractae fuerunt. Quo igitur operatio quam efficaciſſima ſit, poſitura horizontalis omni alii longe anteferenda. Non pauci fuerunt opinati, ſanguinem, diem poſt quartum, detrahi non debere, inflammationem tunc ſuppuratione finitam eſſe exiſtimantes. Cum vero ſuppuratio non a ſpatio morbi ex toto pendeat, ſed a ſtatu effuſionis potius, cumque morbus, poſtquam novem dies manſit, in reſolutionem deſinere fuerit repertus, ad miſſionem ſanguinis cum ſpe ſucceſſus proſperi confugi poteſt, quamdiu ſigna ſuppurationis abſunt, et quamdiu requiri videtur. Nonnullis in exemplis, uti auctores, quibus ſumma fides haberi debet, tradiderunt, quinque aut ſex ſanguinis librae, cum commodo, fuerunt emiſſae.

Quanquam ſyſtema multum ſanguinis, per detractionem ejus generalem, amiſit; plurimum tamen commodi e topica ejuſdem miſſione percipi poteſt. Hoc autem praeſtant hirudines vel cucurbitulae cruentae. Cum gravitas doloris ab actione vaſorum partis laborantis adaucta magna ex parte pendeat, et a tenſione eorundem potiſſimum oriatur, haec evacuatio, ob ſubitam quam facit relaxationem, quam maxime depoſtulatur. In hanc ſententiam omnino conceſſit doctiſſimus et elegantiſſimus Celſus. "Remedium, "enim ait, eſt magni et recentis doloris, ſanguis "miſſus. At, ſive levior, ſive vetuſtior caſus "eſt, vel ſupervacuum, vel ſerum id auxilium "eſt, confugiendumque ad cucurbitulas eſt, ante "ſumma cute inciſa." Quinetiam Cleghornius ingenioſus memoriae prodit, nihil tam multum levaminis, quam ſcarificatorem et cucurbitulas cruentas, afferre ſolere, et in exemplis numeroſiſſimis, in quibus ad ea confugerit, vel morbum ex toto depuliſſe, vel eum inſigniter levaſſe. Quam idoneum hocce remedium ſit, haec ſupra poſita abunde demonſtrant.

His de ſanguinis detractione praefatis, paucula de regimine antiphlogiſtico notare conveniet. Per hoc autem intelligitur omnia irritamenta, quae corpori vulgo applicantur, cavere aut compeſcere. Quod attentionem primum meretur, id eſt calor externus, qui, ſive a foco conclavis nimio, ſive a multis et oneroſioribus ſtragulis, proficiſcatur, caute diligenterque vitandus eſt. Temperies aeria gradum thermometri Fahrenheiteani ſexageſimum adaequare, non excedere, debet. Poſitura horizontalis, utpote quae pauciſſimorum muſculorum actionem exigat, cuilibet alii anteponenda. Si vero aegrotus e lecto exilire conetur, feroci delirio inductus, ne vi ibidem contineatur. Namque agitatio animi corporiſque, quae hinc oriretur, multo plus noxae ſecum adduceret, quam ſummam ei libertatem permittere. Ne loquatur aegrotus, quoniam hoc multum actionis muſcularis requirit. Ex toto, ſi fieri poteſt, conticeat. Quas impreſſiones lux ſonituſque faciunt, eae, cum potentiſſime ſtimulent, ſumma cura quoque fugiendae. Cum affectus animi, praeſertim ira, incitationem ſyſtematis

nervoſi potenter adaugeant, et impetum ſanguinis igitur magnopere accelerent, ab iis, quantum in nobiſmet eſt, abſtinendum eſt. Cum alimentum, quo magis ad putredinem proclive eſt, eo magis ſyſtema ſtimulet, animale cavendum eſt, et vegetabile in locum ejus ſufficiendum eſt. Fructus acidi dulceſque, et decocta e farinaceis liberaliter ſunt adhibenda. Potio communis ſit aqua tepida, in qua panis toſtus fuit humectatus et aliquamdiu manſit. Huic adjiciatur acidi vegetabilis aut mineralis aliquantum. Si vero hanc aegrotus faſtidiat, ei concedenda eſt emulſio gummi Arabici, ſeminis lini infuſum, vel quaelibet alia potio, quae dotes ſtimulantes non habet.

Medici, non pauci, in uſum epiſpaſticorum in morbis inflammationem habentibus fuerunt invecti. Detractione ſanguinis vero prius adhibita, pauca remedia dolorem et ſigna febrilia magis levant. In hanc medendi viam proceſſit celebris Pringelius, qui ſe nullas eorum uſum, ſanguine prius miſſo, noxas excipere, ſed, contra, effectus optimos ab iis adhibitis proficiſci, notavit. De iis

in modum ſequentem loquitur De Haen. " Se " quotieſcunque dolorem pleuriticorum ad " phlebotomias iteratas, caeteraque auxilia im" morigerum, veſicante brevi ſuſtuliſſe." Notari poteſt, plurimum beneficii ab iis amplis et prope partem laborantem applicatis profluere ſolere. Quo ſtranguriae occuratur, ſpatio octo horarum removeantur. Si haec vero invadat, nihil ad eam depellendam accommodatius eſt, quam potus aliquis mucilaginoſus et diluens copioſe ſumptus.

Purgantia, utpote quae humorum corpore comprehenſorum quantitatem imminuant, in primis utilia ſunt, et, quandocunque ſanguinis miſſio eſt neceſſaria, adhiberi poſſunt. Syſtema univerſum potenter relaxant, et ſtercus in inteſtinis accumulatum expellunt, quod magno irritamento foret. Huic conſilio accommodantur, ſal catharticum amarum, cremor tartari, manna, pulpa tamarindorum et caſſiae. Si vero purgantia ore ſumere non neceſſarium ſit, vicem eorum apte praeſtare poſſunt enemata emollientia, in alvum, prout neceſſitas poſtulat, quotidie immiſſa.

Vomitio plena, morbo recente et notis inflammationis graviter urgentibus, magno periculo non vacaret. His vero per remedia idonea ſublatis, aut levatis, ventriculum per ipecacuanham tartarumve emeticum ſordibus liberare non parum poteſt prodeſſe. Quinetiam calida fomenta pedibus partive laboranti applicata, cutem relaxando et tenſionem igitur totius ſyſtematis minuendo, in omni morbo, qui ab humoribus inaequaliter in corpus diffuſis pendet, quamplurimum juvant. Calor aquae gradum thermometri Fahrenheiteani nonageſimum octavum centeſimumve excedere non debet; alioquin vim potenter ſtimulantem habebit, et, ut omnia ſigna ingraveſcant, faciet.

Claſſis medicamentorum, quae refrigerantia appellantur, propterea quod impetum ſyſtematis ſanguiferi ſedant, in omnibus morbis inflammationem habentibus, magnopere proficiunt. Ex his acida vitriolicum et vegetabile multum ſaepe juvant. Idem de hauſtu Riverii ſalino et ſpiritu Mindereri dici poteſt. E ſalibus mediis nullum nitro praeſtantius eſt; cum vero tuſſim hoc in morbo pro certo moveat, quae omnia alia ſigna

adaugeret, nunquam adhiberi debet. Si corpus ad ſudationem pronum eſſe, et ſigna per eam levari videantur, eam promovere debemus. Hoc optime praeſtabunt liquores tepidi diluenteſque ab aegroto liberaliter epoti. Sin hoc votis non reſpondeat, ad praeparata ex antimonio, inter quae principem locum obtinet tartarum emeticum, decurramus oportet. Hoc portiunculis adhibeatur, et frequenter reiteretur, adeo ut nauſea excitetur, quae vaſa ſuperficiei relaxando, et diſtributionem ſanguinis regularem perſpirationemque copioſam promovendo, multum commodi ſecum adducit, cum ſuperficies corporea ſpaſmodice afficitur.

Proximum autem eſt, ut conſilium alterum conſideretur. Multa huic reſpondere a medicis dicta fuerunt et ſummis laudibus elata medicamenta, qualia ſunt gummi calida, balſama quibus alkali volatile ineſt, et ſcillae. Neminem vero fugere poteſt, haec, ob vires ſtimulantes, ſummae, morbo nondum longe provecto, noxae fore, dum ſubeſt diatheſis phlogiſtica. Caeterum per ſtadia provectiora multum commodi emolumenti-